

אלהים mutuata, non tamen cum superstitionis Iudaeis dicendum est, legi non posse, sed hoc ipso legi potest, quia habet puncta aliunde mutuata, quemadmodum qui habet pecuniam aliunde mutuo acceptam, perinde ea emere quippiam, ac pecunia propria, potest. Habet autem vox haec puncta aliunde mutuo sumpta, ut indigetur, eundem esse DEVM, qui est אלהים, יהוה et אלהים.

§. 5. Vox itaque יהוה quippe, quae DEO omnium maxime propria est, nulli vllibi creaturae in S. litteris tribuitur, vel tribui potest, vocaturque non immerito hoc nomen nomen DEI incommunicabile. *Probatur*

I. *Ab expressa scripturae littera*, Es. XLII, 8. vbi DEVS gloriam suam nemini se cessurum esse, profitetur. DEI autem gloria cum in re ipsa, i. e. diuina maiestate, tum in nomine maiestatem denotante consistit, quemadmodum rex in regno suo non tantum regiam maiestatem nemini cedit, sed nec nomen regium.

II. *Ex vocis originatione*. Descendit enim a radice יהוה fuit, et rationem originis reddit ipse DEVS Exod. III, 14. ideo se יהוה dici, quia perpetuo sit, qui sit, et futurus sit, qui nunc sit, qualis immutabilitas de nulla creatura enunciari potest, ut adeo יהוה sit, qui immutabiliter et independenter est. Iam vero hoc simpliciter nulli creaturae competere potest.

III. *Ex*